



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gwaltheri Tigurini in  
Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliae  
CLXXX.**

**Gwalther, Rudolf**

**[S.l.], 1568**

**VD16 W 1038**

In Evangelium Iesu Christi Secundum Ioannem Homiliae Rodolphi Gwaltheri  
Tigurini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71827)

# IN EVANGELIUM IESV CHRISTI SECVNDVM

IOANNEM HOMILIAE RODOLPHI

Gualtheri Tigurini.

HOMILIA I.

**P**OST EXPOSITOS DVODECIM PROPHE-  
TAS, QVOS  
Minores vocant, deinceps diuinae gratiae auxilio & vestris precibus, fratres  
in Domino charissimi, fretus, Euangelium Iesu Christi, quod secundum Ioan-  
nem inscribitur, interpretari institui. Quod ut faciam, duabus potissimum  
rationibus adducor. Prima, quod Malachias, qui vltimus veteris testamen-  
ti scriptor est, suam prophetiam laeto & euidenti oraculo conclusit, quo Ioan-  
nis Baptistae aduentum atque ministerium describit, quem noui testamenti, adeoque  
euangelij, primum praeconeum fuisse scimus: itaque, veteris testamentum cum nouo coniungendo, nos ab  
illo ad huius lectionem transmittit: quae non aliunde commodius & vtilius inchoari potest, quam ab  
eo libro, qui Iesu Christi cognitionem & vniuersae fidei atque salutis nostrae mysteria omnium perfe-  
ctissime comprehendit, ut suo loco demonstrabitur. Altera mei instituti ratio est, quod prophetarum  
oraculis, quae hucusque, audiuiimus, lux maior accedet, quando re ipsa & vere praesentia atque impleta vi-  
debimus, quae illi saeculis aliquot ante praedixerunt. Facit hoc plurimum ad fidei confirmationem, qua  
nobis hodie inter grauissimas diuersissimarum opinionum controuersias, & vndique imminencia peri-  
cula cum primis opus est. Sed priusquam ad Euangelista verba accedamus, pauca quaedam de  
Euangelio primum, deinde de huius scripti auctore, Ioanne, hoc sermone dicenda erunt.

Euangelij vox (ut alibi quoque annotauimus) Graeca est, & Latinis bonum seu faustum letumque, Euangelium  
quid sit, &  
cur sic dica-  
tur doctrina  
de Christo.  
nuntium significat. Illam vero spiritus sanctus non sine grauissima ratione praedicationi vel doctrinae  
de gratia Dei nobis in Christo exhibita accommodare voluit, ut ea euangelium vulgo diceretur, cum  
quod haec sola isto nomine digna est, ut quae sola mentes in desperationis praecipitio constitutas erige-  
re & consolari potest: tum ut nos ad huius studium excitet, ne quae ad animorum consolationem & ho-  
minis beatitudinem faciunt, alibi in rebus friuolis atque perituris (ut in mundo & affectibus carnis dediti  
facere consueuerunt) quaeramus. In quo cum salutis nostrae cardo maxima ex parte versetur, non  
vocem modo euangelij, sed rem ipsam paulo diligentius inspexisse proderit: ut nimirum intelliga-  
mus quid euangelio contineatur, quibus partibus praedicationi illius constet, quisue illius finis aut sco-  
pus sit, utque homines ad illud amplectendum praeparatos siue affectos esse oporteat. Quae omnia tunc  
rectius intelligemus, si Christum ipsum & Apostolos de hoc mysterio loquentes audiamus.

Inter hos ergo primus Ioannes prodeat, cuius scriptum aggredimur: qui euangelica doctrina sum-  
mam breui epistola complecti volens, sic orditur: Quod erat a principio, quod audiuiimus, quod vidi-  
mus oculis nostris, & manus nostrae contrectauerunt de sermone vitae: Et vita manifestata est, &  
nos vidimus, & testamur & annunciamus vobis vitam illam aeternam, &c. Testandi verbo videtur,  
ut doctrinam de Christo non vulgare aliquod nuntium, sed testimonium graue & fide dignum esse  
ostendat. Paulus vero eandem verbum reconciliationis vocat. 2. Corinth. 5. Deus (inquit) erat in  
Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum, posuitque in nobis verbum hoc  
reconciliationis. Et alibi euangelium dicit esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. Rur-  
sus ab eodem euangelium gratiae Dei dicitur, quando se ministerium accepisse ait a Domino Iesu, ad  
testificandum euangelium gratiae Dei. Acto. 20. Christus vero ipse doctrinam istam euangelium re-  
gum dicere consuevit, Dei nimirum seu caelorum regnum intelligens. Potest ex hisce omnibus euangelij  
definitio talis constitui: Euangelium est testimonium gratiae Dei exhibita in Christo, vero & aeterno Euangelij  
definitio.

Dei filio, qui iuxta veteres promissiones homo factus, sua mortis & resurrectionis merito atq; virtute nos redemit, & patri reconciliatos eidem per fidei obedientiam consecravit, ut ille in nobis regnum obineat, nosq; olim cum illo in caelis regnemus. Est haec plena & perfecta definitio, omnia ea complectens, quae ad euangelij & salutis nostrae cognitionem, imò etiam ad huius doctrinae commendationem faciunt: quod facile patebit, si singulas eius partes excutiamus.

Testimonium gratiae.

Vbi primum occurrit, quòd testimonium gratiae Dei dicitur. Quo episthero ita gaudet Ioannes, ut in Apocalypsi propter testimonium Christi eos affligi dicat, qui propter euangelium persecutionem sustinent. Neque ab ipso hoc confilium putabimus, sed ex spiritus suggestione Christum magistrum secutus est. Quia enim ille Apostolos suos testes dixit, merito quam illi praedicarunt, doctrina Christi testimonium dicitur. Facit autem haec prior pars bifariam ad euangelij commendationem. Testimonij enim vox illius veritatem & certitudinem asserit adversus eos, qui doctrinam hanc in dubiis vocant, aut falsi insimulant. Si enim civiles leges testibus legitimis atq; iuratis fidem habere iubent, imò cum Deus in ore duorum aut trium testium omne verbum consistere, & inde controuersiarum cognitionem petendam esse doceat, quae temeritas fuerit, diuino numine afflatus & insinuat miraculis commendatos Christi testes reijcere? Neg. enim in illis haeret contumelia ista, sed in Dei filium redundat, cuius illi ministri fuerunt. Quin ipsum Deum patrem (ut Ioannes docet) mendacij insimulant, cum non aliud de Christo illi praedicarint, quam quod ille caelius de ipso testatur esset. Deinde ab utilitate etiam doctrina haec commendatur. Quia enim testimonium gratiae Dei esse, animos irae diuinae metu fluctuantes placat, & salutis certos reddit: quo nullum potest bonum excellentius homini in terris agenti accidere. Quicunq; ergo euangelium vel negant vel abijciunt, hi & Dei & publicae salutis hostes sunt, & se dignos esse produnt, qui à Dei gratia perpetuo excludantur.

Euangelij partes.

Obseruabis deinde in euangelij definitione quòd de Christo gratia illius mediatore dicitur: quòd nimirum homo factus, sua mortis & resurrectionis merito atq; virtute nos redemerit, à peccatis nimirum & horum supplicio, morte aeterna, & patri reconciliatos eidem nos per fidei obedientiam consecravit. Docent ista, quibus partibus constet euangelium, & quomodo inter homines praedicari debeat. Primus locus historiae debetur, quae Dei filium incarnatum & hominem factum fuisse docet, et illius in carne mortem atque resurrectionem, quam gloriosa in caelos ascensio mox secuta est, describit. Secundum locum incarnationis istius & eorum, quae in carne fecit & passus est Dei filius, fructus obinet: quiesc, ut liberati ex peccati & diaboli seruitio Deum colamus in fide vera & vitae sanctitate, atque illi nos totos consecremus. Et has quidem euangelij partes ipse Christus constituit, quando à mortuis resuscitatus discipulis ait. Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & praedicari in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum. Luc. 24. Euangelij ergo praecones sunt, quicunq; cum Christi Iesu historia illius sum fideliter tradunt, homines à peccatis serio reuocant: interim verò non in nostrae naturae viribus, sed in vnus Christi merito monstrant quaecunq; ad salutarem illam à peccatis conuersionem & eorundem remissionem faciunt. Quotquot verò ista vel discerpunt & mutilant, vel extra Christum ostendunt, pro euangelij doctoribus haberi nullo modo possunt.

Euangelij finis.

Facit huc quod postremò in definitione de euangelij fine adijciunt: Ut ille in nobis regnum obineat, nosq; olim cum illo in caelis regnemus. Nec enim obedientia fidei consistere potest, nisi suo spiritu in nobis regnet Deus, & reluctantes voluntati suae carnis affectus reprimat. Quare orantes ex Christi mandato dicimus: Adueniat regnū tuum, fiat voluntas tua, &c. At qui Deum admittunt, ut in ipsorum mortali corpore regnum obineat, iidem haec vita defuncti, quoad animas, in caelos subuolant ad aeterni & caelestis regni consortium, ad quod olim corpora quoq; ipsorum subuehantur, quòd à mortuis resuscitata beatam immortalitatem induent. Et horum quidem consideratio simul admo net, quales esse oporteat eos, qui euangelium cum aliquo fructu audire & verè amplecti cupiunt. Sciant homini mortificatione carnis opus esse, ut regenerari & immolari possint ad caelestis illius regni & vitae aeternae participationem. Deinde verò euangelij attende audiant, quod in vno Christo nobis monstrat quaecunq; nobis ad istum finem sunt necessaria. Neg. se ab illius studio vllis hominū traditionibus, aut mundi huius illecebris reuocari, vel vllis periculis absterreri patientur. Haec enim vnica illa & vetustissima salutis ratio est, quae primis parentibus in paradiso Deus tradidit, quamq;

quamq̄ postea saepe repetitis promissionibus, typis item legalibus & prophetarum oraculis confirmavit: quam deniq̄ post peractum in Christo salutis negotium apostolorum ministerio per totum orbem divulgari voluit. Per hanc seruati sunt olim patres, huius exhibitionem videre cupierunt prophetae, & eandem suo sanguine confirmarunt martyres, quorum memoria hodie apud omnes Dei cultores antea & celebris habetur. Procul ergo valeant, quicumq̄ hanc nouis additionibus peruertere conantur. Quod si verò propter hanc mundo renunciare, bonorum huius seculi iacturam facere, & omne genus periculorum subire cogimur: cogitemus breui transcurum mundum hunc, & facilem esse eorum iacturam, quae durabilia non sunt, huius autem vitae afflictionibus aeternam vitam caelestis & nunquam intermoriturae remunerationem esse propositam. Addamus huic considerationi ardentem atq̄ assiduam precem, & mox Deum tam sancto studio minime defuturum sentiemus, qui suo spiritu efficiet, ut euangelij semen in animis nostris germinet & fructus saluatares ferat.

Transeamus nunc ad alterum huius sermonis caput, ut de Ioanne euangelici istius scripti autem De Ioanne Apostolo & Euangelista. Est enim hoc singulare bonitatis diuinae argumentum, quod doctrinam hanc Deus non modo viua voce predicare, verum etiam scriptis mandari voluit, ne vel tota intercederet, vel aliunde accessit traditionibus corrumperetur. Excitauit autem historiae de Christo Iesu et reparata salute humana scriptores quatuor: duos nimirum ex Apostolorum numero, Mattheum & Ioannem: & totidem ex ijs, qui Apostolis fideliter conuersati, ex illorum relatione res omnes probe didicerunt: Marcum scilicet & Lucam: quos ideo prioribus adiunxit, ne quid ab his ex composito scriptum videri posset, neue spiritum sanctum solis Apostolis datum esse, aut his e vita sublati cessauisse putemus. Inter omnes verò istos primatum facile tenet Ioannes, de quo aliquid dicendum est, non quod euangelij auctoritas ab eius scriptore dependeat, sed ut in electo hoc Christi organo Dei bonitatem agnoscamus, & magis afficiamur eorum lectione & audicione, quae ab illo in nostram institutionem descripta sunt. Fuit ergo Ioannes Zebedaei filius ex Salome, quam Iosephi ex prioris uxore filiam fuisse veteres tradunt. Habitauit Bethsaida, quod Galilaeae oppidum est, ad lacum Tiberiadis, ubi cum patre & fratre Iacobo rei piscatoriae vacante & retia sarcientem ad apostolatū vocauit Christus, & ab eo tempore sibi familiarissimum habuit, adeo ut dilectus discipulus vulgo diceretur. Nec pauca vel vulgaria extant fauoris Christi erga hunc argumenta, cum illum rebus grauissimis testem adhibuerit: ut ipse miraculo resuscitatae lairae filiae, transfigurationi in monte Thabor, et agoni suo extremo ad montem oliueti. Hinc factum, ut etiam ipse dominum & praecceptorē suum amore vehementissimo prosequeretur, quem non minus perspicuis argumentis testatus est. Nam in vltima Cena super peccatus Domini recubuit, & cum illo capto omnes diffugissent, hic mox nouis animi viribus collectis illum secutus est in atrium pontificis usq̄, neq̄ ab eo tempore illum amplius deseruit, adeo ut solus ex discipulorum grege affuerit in cruce morienti. Cuius fidei & amoris amplissima praemia accepit à Domino. Ipsi enim Christus iam moriturus matrem suam commendauit, virginem (ut Augustinus ait) virgini, quo nomine D. Cyprianus illum Mariae cubicularium vocauit. Adhuc vidit eodem tempore in lacere Christi aperiri fontem illum saluiferum, quem per Zachariam promiserat Deus, qui credentium peccata & menstruam immunditiam, id est, inherentem nobis & hereditariam naturae corruptionem abluit. Cum verò post ascensionem Domini cum reliquis Apostolis spiritum sanctum accepisset, hic quoq̄ in illo virtute maiori operatus est. Per ipsum etenim & Petrum primum miraculum est editum in claudio, qui ad portam templi speciosam deponebatur: & tunc quoq̄ Ioannis facundia atque impeterrita dicendi libertas toti Hierosolymorum Senatui admirationi fuit. Et quanta fide atque constantia ab eo tempore perrexit Christi causam agere, ex eo patet, quod solus dignus visus est Apostolis, qui cum Petro Samariam mitteretur, cum illis Philippus Christi praedicauisset: ubi nouis signis claruit, & per illius ministerium spiritum sanctum credentibus Samaritanis Christus contulit. Tandem in Asiam duce spiritu profectus, quam plurimas illic ecclesias collegit, quibus tempore diutissimo praesuit. Constat enim illum omnibus apostolis superuixisse: quod fieri non poterat, quin multa aduersa videret atque pateretur. Vidit ergo suae gentis implacabile odium, seu rabiem potius, quae Christi doctrinam persequerentur. Vidit Neronis edicto excitatam contra Christianos persecutionem, quae plerosq̄ apostolorum, & inter hos Petrum et Paulum sustulit. Vidit horrendum verbum Ierosolymae excidium & luctuosam Iudaicam reipub. dispersionem, cum

infinite alijs, quae ipsi procul dubio morte acerbiora erant. Tandem cum Domitianus, homo crudelis & impius, diuinitatis affectator, stirpisq; Dauidicae acerrimus hostis, alteram contra Christi culores persecutionem instituisset, Ioannes quoque, ex Asia Romam pertractus, & in oleum seruens demersus est, sicuti vetustissimus scriptor, Tertullianus testatur. Cum autem nihil ex eo mali paterecetur, in Paphum Aegei maris insulam relegatus est, ubi librum de satis Ecclesiae, quem Apocalypsim vocant, ex Christi reuelatione conscripsit. Quo tempore epistolas quoque ab illo scriptas fuisse crediderim, ut eos in fide confirmaret, quos viua voce docere non poterat. Cum autem Domitiano à suis occiso, illius acta propter crudelitatem intolerabilem rescinderentur, Ioannes quoque, ab exilio reuocatus Ephesum rediit, & tunc rogantibus illum Asiae episcopis euangelium Iesu Christi conscripsit. Mouit illos, ut hoc officij ab illo postularent, Cerinthi & Ebionis haeretice de fidei mysterijs traditiones, qui Iesum ex Iosephi semine natum, et postea cum ab Ioanne baptizaretur, Christum in illum descendisse docebant, vnde cum multis alijs, quibus aeterna filij Dei diuinitas et nostrae salutis fundamenta conuellerantur. Cessit ergo Ioannes sanctis piorum fratrum petitionibus, et sublimiori volatu ipso quoque caelos penetrans, iuculento & deserto dicendi genere ea exposuit, quae ad asserendam Iesu Christi saluatoris nostri diuinitatem faciunt. Quo nomine illum Christus filium conitruum dixit, nimirum ob altiuolantis doctrinae grauitatem, quae hominum mentes percelluit. Sed & alia quaedam suae historiae interseruit, quae à tribus prioribus Euangelistis omissa fuisse videbat. Nam ut ab aeterna Christi diuinitate orditur, ita ea quoque commemorat, quae priusquam Baptista in carcerem conijceretur ab illo facta sunt, quorum mentionem aut nullam aut perquam obcuram reliqui faciunt. Et ordine quidem commodissimo progreditur. Primum enim summarim proponit ea, quae Christum verum & aeternum Dei filium atque olim promissum humani generis redemptorem esse demonstrant. Deinde ut vocatis aliquot discipulis Messiae officio fungi ceperit, docet. Partitur autem narrationem istam secundum projectiones, quibus Ierosolymam ascendit Christus, & quid in vnaquaque istarum memorabile ab illo factum sit, narrat. Et sicuti miracula deligit celebriora, quae grauissimarum disputationum occasione praebuerunt, ita in disputationibus & concionibus Christi describendis plurimum immoratur, ut ex illis discamus quis nobis omnium eorum vsus esse debeat, quae ille fecit & passus est. Postquam vero opus hoc suum absoluit Ioannes, paulo post anno aetatis nonagesimo nono (ut plerique veterum tradunt) in Domino obdormiuit, & iuxta Ephesum sepultus est. Fuit is annus Traiani Imp. quartus, à Christo autem nato centesimus secundus, & ab eiusdem morte sexagesimus octauus: quo tempore iam longo rerum vsu edoctus Ioannes sciebat, quae nam ecclesiae cumprimis necessaria essent cognita, & quibus illa quam minime carere posset.

Et haec quidem de Ioanne paulo fufius dicenda fuerunt, ut ex ijs primo Dei bonitatem agnoscamus, qui in hominem obscuro loco natum & nullo huius seculi splendore insignem, sui spiritus dona tam liberaliter effundere dignatus est, & eiusdem ministerio etiam hodie in ecclesia sua instituenda vitetur. Et si enim rogantibus Asiae episcopis (ut supra diximus) quos illius seculi haereses vexabant, librum hunc scripsit, longius tamen extenditur diuinae providentiae consiliu, quae scripto hoc ecclesiam aduersus omnia impiorum & fanaticorum de Christo commenta instruere voluit. Magna sit ergo eius apud nos auctoritas, & si Christum verè diligimus, attenti audiamus, quae ex spiritus suggestione dilectus ipse discipulus & istorum omnium oculus testis nobis tradidit. Imprimis vero finem eum nobis proponamus, quem ipse Ioannes monstrat, dicens: Haec scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen eius. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

CAP.